

suspicio ipsam gravidam, antequam extremo afficeretur suppicio, tres Medicos & duas obstetrics destinatas, ad illam examinandam & explorandam, cum negarent praegnamentem, in profluentem fuisse conjectam & submersam, sed cadavere post aperto, gravidam depræhen-sam. O grande nefas! Etsi illa in quintum mensem esset gravida, ta-

men illi exploratores, licet præsentes, ut non modò lotium intueri, sed & alia signa imprægnationem denotantia inquirere ac indagare potuerint, non minus tam graviter hallucinati: quid spei concipiendum, si ex solius urinæ inspectione, judicium ferendum. Proin aliorum tam crassa errata, inserviant pro cautela, ad circumspiciens agendum.

EPISTOLA XXII.

Ad quendam Philiatrum de formarum origine, utrum anima innata vel ingressa.

Hære in suspenso, utrum Gauthor ille mihi perlustratus communicatus elogio vel jurgio dignior, quod tantoperè & ex professo, in D. Sennertum, virum candidum & de facultate medicâ optimè meritum, inventus, stimulis æmulationis & ambitionis magis concitatus, quam ut operæ pretium, in tantum vitum insurgere & calamum stringere. Sed mittam ista me haud attingentia, unicum tamen intactum relinquere non possum, de origine formarum, quibus Sennertum deformare & vellicare in primis laborat, quod statuat, non tantum formas accidentales, sed & essentials, per divisionem materiæ propagari & habere

~~divisus~~ sui multiplicativam.

Etsi Sennertus in eo videatur à

quorundam priscorum Philosophorum placitis recedere, id factum, non malum, sed optimâ intentione, & ex pio zelo, dum animadvertisit, illos veri Dei agnitione destitutos, haud dextrè sensisse, & multa à sacris literis aliena protulisse, quin recurrendum sit ad altius & divinius principium, scil. causam omnium causarum (cum progressus non detur in infinitum) ipsum Deum velut omnium rerum conditorem, qui cuique creaturæ, in primâ statim creatione, suam competentem formam indiderit, cujus ope operationes suas edere & sui multiplicativa esse queat. Utrum in eo Sennertus tantopere hallucinatus, impartiali Judici, sed Theosophiâ imbuto, decisionem committo.

Etsi forma per se sit incorporea & quantitatis expers, sit autem quan-

quanta per accidens, quatenus materiae inhæret, ad cuius extensionem & divisionem extenditur, & divisibilis euadit. Jussu Deus, ut res naturales non solum per suas formas existent, sed & per easdem sese propagarent: cuique rei secundum suam speciem consimile generandi facultas insita à Deo, & exin propagata ab exordio Mundi, ad ejus interiorum duratur. Si antiquis philosophis creatio olim cognita indubium, quia in multis aliter speculaturi. Utrum Anima, quæ sui domicilii fabricatrix, sit innata, vel ingressa, præfertim Rationalis, magna existit inter Philosophos & Theologos disceptatio. Sanè divini Platonis, in Phædonis dialogo) palmarium videtur argumentum, ad animæ immortalitatem probandam, quod semini non insita, sed extrinsecus adveniat. Quid ea de te Aristoteles senserit, auctores in diversas abeunt sententias. Complures existimant, ipsum pènè nullā in re tam esse ambiguum, ut nihil certi definiri queat. Sed mihi artet sententia Cœlii Rhodigini (lib. 6. antiq. Lect.) ubi tradit Aristotelem statuisse, ~~coris~~ esse mortalem: ~~coris~~ autem immortalem. Luculentus succurrit contextus (lib. 2. d. Gener. c. 3.) ubi palam assertit, ~~coris~~ seu animam sentientem & vegetantem seminare: Tò ~~coris~~ autem seu mentem solum extrinsecus accederet, etiamque

solam esse divinam, cum ejus actio ne nihil communicet actio corporali. Ex illustri illo loco relucet, Aristotelem eò inclinare, omnium alias formarum originem esse ab intrinseco, & quod sunt divitibiles per divisionem materiae, vel ipso sensu etiam testificante. Ex isthac pars Sennerti assertio, non repugnat Aristotelis, ideoque immerito ab aliis flagellatur.

Tota controversia in eo hæret, quod animam Rationalem à quæ ex traduce provenire & à Progenitoribus prodire astruit, pènè omnium Evangelicorum Theologorum opinionem fecutus, ob peccatum originale, quod homini insitum, & animæ inpræmis inhæret. Illud unicum est obstaculum, quo illi impulsi, divortium faciunt, à Philosophorum & aliorum Sectatariorum placito.

Probè notandum, Aristotelem expressis verbis statuere, mentem, hoc est, animam Rationalem, solum extrinsecus advenire materiae disposita, & solum esse divinam, hoc est, à Deo venire.

Etsi non intellexerit creationem, seu ex nihilo productionem, cognovit tamen animam Rationalem fieri non posse, ab agente aliquo materiali, prout materiales animæ fiunt, sed ab aliquo agente extrinseco, scilicet ipso Deo, annexâ hujus rei causa, iniquiens: Nihil enim cum ejus actione communicaat actio cor-

poralis. Cum animæ Rationalis quæ assertio tam sic certa , ut nulli actio principalis sit intellectio , non indigens organo corporeo , & cum per se subsistat , proin sua Natura erit incorruptibilis. Quamvis nulla Ratio humana tam robusta , ad stabilendam Animæ immortalitatem , nî sacræ paginæ id affirmarent , semper in ambiguo hærendum , quid credendum.

Exin fons sapientia , ipse Seneca , in quadam Epistola ad Lucilium : Jurat de Animarum immortalitate quærere , imò credere , credo enim opinionibus magnorum virorum , rem gratissimam (scil. Animas immortales) promittentium magis , quam probantium. Animadvertis ille , nullas rationes philosophicas esse sufficientes , ad Animæ immortalitatem astriuendam. Cum non tantum Sanioris Mensis Philosophi Animam Rationalem extrinsecus accedere sint opinari , sed & Calviniani idem afferant : quibus suffragantur omnes in universum autores Pontifici , adeò , ut Seraphicus ille Doctor Thomas Aquinas , non errorem , sed hæresin esse , asseverare non dubiter , si quis statuat , ex traduce , si hoc verum censendum , invictum fore argumentum , Animam corruptibilem.

Ipsi Jesuitæ Conimbricenses (in comment. d. Anima Aristot.) profiteri haud verentur , qui afferant , Animam cum semine propagari , param ejus immortalitatem negare ,

ut nulli Philosopho Christiano dubitare fas , Soli Lutherani , præsertim neoterici , Theologi , ab illis divortium facientes , Animam à Parentibus procedere astriuunt , & mordicus defendunt , ob peccatum originale impulsu , quod à primo statim conceptu Animæ inlitudinem.

Quibus se D. Sennertus associare est solitus. Si opinio ista probanda , an non cum D. Augustino illud opponendum : Si Animæ cum carne immatur etiam cum carne morietur. Si tam anima hominum , ac brutorum , ex traduce , eadem utriusque erit conditio , & per consequens corruptibilis , juxta sententiam S. Hieronymi .

Cum tanta sit inter acutissimos Philosophos & profundissimos Theologos opinionum contraries , quis præsumere ausit , suum judicium interponere , & quidpiam certi definire ? Questio illa permanebit in suspenso ac indiscussa , in hac Mensis caligine , donec pervenerimus in lucem æviternam , ubi haud opus tam laborioso discursu , sed cuncta erant præsentanea. Cum Deus mihi hoc ocium fecerit , istas avolare sum passus , non ut Noctuas Athenas , sed ut ansam præberem , ad ult.

terius ac uberiorius speculandum , & sincerè judicandum , utrum D. Sennertus , suo merito ab illo tam acerbè castigatus.

EPI-